





B. N.  
309.

Xm. 195.

DISPUTATIO  
DE  
SIMPLICIUM  
MEDICAMENTORUM  
FACULTATIBUS

V.

*Ex Capitibus 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & 8.*

*Libri secundi Galeni de simplicium  
medicamentorum facultatibus*

*elicta:*

E t

Publici exercitij gratia in inclyta Argenti-  
toratensium Universitate proposita

à

MELCHIORE SEBIZIO,  
DOCTORE ET PROFESSORE  
Medicinæ, Comite Palatino Cæsa-  
reo, ac Reipubl. Archiatro:

*Respondente*

SIGISMUNDO CLOSIO,  
VRATISLAVIENSI SILESIO.

✽( : )✽

ARGENTORATI,  
Typis EBERHARDI WELPERI.

M. DC. XLVII.

DISSENTIO  
DE  
SIMPLICIUM  
MEDICAMENTORUM  
FACULTATIBUS

Ex Capitulo 1. 4. 2. 6. 7. 8.  
Liber secundus Galeni de simplicibus  
medicamentorum facultatibus  
Liber secundus de simplicibus  
E. 1.  
Publici exercitii gratia in huiusmodi  
conspectu Universitatis profectus

MEDICINAE  
DOCTORE ET PROFESSORE  
Medicinae Omnium Praeside  
Reactoris huiusmodi

SIGISMUNDO CLOSIO  
MATIASVALDENSES  
CAROLUS VON  
THEODORUS DE WERTHE  
M. DC. XLVII





## PROBLEMA

### I.

**U**x causa sit, quòd doctrina Galeni de simplicium medicamentorum facultatibus admodum sit proluxa? Proluxitatis causam Galenus in Sophistas reijcit, qui refutandi erant. Nam cum sensum pro nihilo haberint, suaque principia *ωππρωθεν*, è longinquo duxerint, seseque in illa conjecerint, quæ etiam apud Philosophos dubia sunt, factum, ut & ea, quæ ipsi ignorarunt, & quæ *σαφως*, aperte cognoscuntur, subverterint: idque partim ob ignorantiam Physicæ scientiæ, partim ob logicarum methodorum imperitiam: quibus utatur necesse est, quisquis aliquid demonstrare conatur. Itaque, cum nesciverint ea, quæ benè à Natura speculatoribus sunt tradita, & latuerit etiam eos, de quibus illi haud immeritò dubitarunt, utrisque tamen repugnare, & contraria sepe numero statuere minimè erubuerunt. Proinde redargutionem merebantur. L. 2. C. 1.

### II.

Quid statuendum ergo de illis, qui spretis neglectisque sensibus de simplicium qualitatibus

bus ex ratione judicant? Galenus dicit, eos  
videri τοῖς ἄνθρωποις, viris intelligentibus, rerumque  
peritis μάταιον, insanire. Declarat hoc pulchro  
exemplo. Quatuor, inquit, sunt mixtorum cor-  
porum primordia, Ignis, Aer, Aqua, & Terra: sed  
nulli eorum congenitus est splendor, nisi igni. Si quis  
ergo autoritate Empedoclis & aliorum quorun-  
dam Physicorum nixus, concluderet, omnia splendi-  
da corpora plurimum ignis in se habere, ejus sane  
ratio ipso sensu refutari posset, hunc in modum.

Si omnia, quae splendida sunt, igneae naturae  
essent, talia quoque essent nix, glacies, aliaeque in-  
numera, quae splendent. At hoc est falsissimum.  
Ergo falsum quoque, quod omnia splendida igneae  
naturae sint. Liquet ergo, Sensum consulendum  
esse, non Rationem, si quid de rerum qualitatibus  
statuendum. Nam ejusmodi axiomatica, quod Sol  
sit splendidus, flamma ὑπόξανθος, subflava, an-  
thracis plerique ξανθοί, flavi, ex sensu petuntur,  
& per sensum probantur.

Qui igitur à sensu recedunt, eumque negligunt,  
demonstrationem nullam conficere possunt. Sophista  
nominati à sensu recesserunt. Ergo non mirum,  
nullam eos ἀποδείξιν conficere potuisse.

Consequentia Majoris probatur. Qui nulla  
habent principia, nullas facere possunt ἀποδείξεις.  
At qui sensus negligunt, nulla habent principia.  
Ergo nullas facere possunt ἀποδείξεις.

Hujus prosyllogismi veritas ex eo manife-  
sta est, quoniam secundum Logicorum praecepta in  
quá-

quavis demonstratione tria sunt, primum τὸ ὑποκείμενον γένος, ipsum subjectum, de quo aliquid demonstrandum. Deinde αἱ ἀρχαὶ, principia, quae sunt ἀναπόδεικτα καὶ ἀναρχα, ut Aristoteles in posterioribus analyticis docet. Tertio τὰ πλάθην καὶ κατ' αὐτὸ συμβεβηκότα, affectiones & accidentia, quae per τὰς ἀρχὰς, tanquam per causas, de ὑποκειμένῳ γένει demonstranda sunt.

Sic igitur argumentari licet. Qui partes demonstrationis non habent, nullas facere possunt demonstrationes. At qui carent principis, partes demonstrationis omnes non habent, propter rationem allatam. Ergo qui carent principis, nullas facere demonstrationes queunt.

Minor prosyllogismi sic confirmatur. Si principia demonstrationum, quae nos in cognitionem facultatum medicamentorum deducunt, ex sensu petuntur, sequitur, qui sensum negligit, nulla habere principia. Atque prius est verum. Ergo, qui sensum negligit, principis demonstrationis destituitur. L. 2. c. 1.

### III.

Utrum Sophistæ isti sensus planè in dignotione simplicium repudiârint? Fatetur Galenus, docuisse quidem illos, homines cum simus, & sensus cum brutis habeamus communes, auspicandum à sensibus esse: sed illis haudquaquam διὰ παντὸς, perpetuò, inherendum: verum ad partem θεωρίαν, diviniorē, ipsam scil. Rationem acceden-

cedendum. Probabant istud argumento & au-  
thoritate. Argumentum erat tale.

Quæ animi facultas solis inest hominibus inter  
animalia, & illis cum DEO communis, ea in rerum  
indagatione potius sequenda & consulenda est, quam  
qua etiam brutis est concessa. Atqui Ratio solis  
inest hominibus inter animalia, & illis cum DEO  
communis: Sensus verò etiam brutis concessus est.  
Ergo in rerum investigatione Ratio potius se-  
quenda & consulenda, quam Sensus.

Authoritas est Anaxagoræ, qui negavit, ni-  
vem albam esse, idq; neglectis sensibus ratione  
confirmavit.

Si igitur Anaxagoras, Physicus magnus, sensus  
κατάλογος spreuit, & in rerum Natura expli-  
canda Ducem secutus est Rationem, sequitur, &  
nobis illius vestigia premenda esse, & Rationem  
potius, quam Sensem consulendam. At prius fe-  
cit Anaxagoras. Ergo idem quoque nobis imi-  
tandum. Respondet Galenus, si fas est liberè &  
ingenuè sensa animi sui exprimere, & si verita-  
tis studiosum magis ad veritatem, quam ad au-  
thoritatem respicere decet, dicendum sanè, eos,  
qui talia nugari minimè erubescunt, ad insanie  
extremum, & ultra pervenisse. Aut enim quæ  
per sensus ἐναργῶς, evidenter apparent, evertunt  
prorsus: aut à sensibus, tanquam fide dignis, ex-  
ordiuntur. Si prius faciunt Sophista, non habent,  
unde demonstrationum petant principia. Sin poste-  
rius, quo jure sensibus diffitentur?

Nam



Nam per quæ aliquid demonstratur, illa certiora sunt ijs, qua demonstrantur. Hæc enim aliunde fidem mutuantur: demonstrationum verò principia, per quæ fit demonstratio, non solum ipsa per sese fide digna sunt, sed etiam ad querendorum inventionem, quib. credatur, apta sunt atq; idonea. L. 2. c. 1.

I V.

Quæ sit summa voti Galeni in hac de simplicium medicaminum facultatibus doctrina? Optat Galenus unicè, res omnes clarè sub sensus caderent, nec quicquam esset, quod eos fugere posset. Hoc enim pacto nihil dubium, nihil ambiguum, aut anceps usquam foret.

Verùm, cum sensus quedam effugiant, rationem illis superinducere conandum esse monet, sic tamen, ut rationes non procul à sensibus distitas adhibeamus, quemadmodum Sophistæ fecerunt. Observemus insuper sequentes regulas.

Primam, ut τὰ σημαίνοντα τῶν ὀνομάτων ἀκριβῶς διακρίνομεν, accuratè vocabulorum significata distinguamus.

Secundam, ut separemus id, quod per se aliquid agit, ab eo, quod per accidens operatur.

Tertiam, ut quomodo propriam cuiusq; medicamenti facultatem ab ijs, quæ ex accidenti sunt, segregantes invenire possimus: id quod hoc libro ostendetur Olei & Rosacei exemplo, quemadmodum libro primo exemplo Aceti & Aquæ id demonstratum fuit. L. 2. c. 2.

## V.

Quæ via sit & compendiosa, & maxime  
perspicua perveniendi ad cognitionem facultatum  
medicamentorum: quæ erronea & longa  
nimis? *Via compendiosa & maxime perspicua  
est, quæ à sensu petitur. Declarari hoc potest  
exemplo Rosarum, quarum succum & oleum sæpius  
ad usum medicinalem adhibemus, & tum in  
sanis, tum in ægris corporibus, simplici aliquo morbo  
affectis, foris & intus usurpamus, & quia Rosas,  
quocunque modo preparatas, quibuscunque etiam  
partibus admotas, refrigerare deprehendimus, frigiditas  
illas statuimus, aversantes illas rationes, quæ  
vel a colore, vel ab odore, vel à consistentia, vel à  
re alia desumuntur.*

*Hæc enim investigandi ratio erronea est & è longinquo  
petita. Et qui eam ingrediuntur, neglectis  
spretisque sensibus, similes sunt illis, qui aliquem  
cognoscere cupientes ex imagine, aut ficta, aut  
picta, cognoscere eum satagunt, cum ipsum tamen  
aspicere minime sit denegatum. L. 2. c. 2.*

## VI.

Num ex colore certi aliquid statuere liceat  
de facultatibus simplicium medicamentorum?  
Galenus Sophistas de investigatione facultatum  
simplicibus inherentium docentes triplici  
nomine reprehendit. Primum, quod, ut ex  
cap. 2. patet, fidem sensibus derogarint, iisque  
rationes prætulerrint. Deinde, quod Logices  
fuerint ignari, & illegitime concluserrint. Tertio,  
quod

quod rationibus solidis minimè usi fuerint, sed vel  
Inductionibus solùm, quæ vim ræmen demonstrandæ  
non habent, vel, quod est deterius, aliquando solis  
duntaxat Exemplis, Oratorum more, dogmata sua  
probarint: quemadmodum cap. 4. ostendet fusiùs.  
Propterea nunc de novo illos aggreditur, & neque  
ex colore, neque ex odore, neque ex consistentia,  
neque ex congelatione, neque ex duritie, neque ex  
levitate de medicinarum facultatibus ratiocinan-  
dum esse docet.

Agit autem de COLORE primo loco.

Sic enim Sophista argumentati sunt, hoc iacta  
fundamento, quod Ignis sit ruber. Inde sic conclu-  
debant.

Quicquid est rubrum, id est igneum. Rosa v. g.  
sunt rubra. Ergo sunt ignea: & per consequens  
calida. Licet igitur temperamentum simplicium  
venari ex colore. Sed Galenus respondet, Majorem  
esse falsam.

Verum quidem esse, quod ignis ruber sit: sed  
falsam istius propositionis conversionem, omne ru-  
brum igneum esse, & consequenter omne rubrum  
esse calidum.

Quod si in principio statim assumptum esset  
in oratione, Omne calidum rubrum esse, licuisset,  
inquit Galenus, forsitan conversione propositi-  
onis uti, & dicere, omne rubrum esse calidum.  
Verum cum initio orationis assumptum non fue-  
rit, omne calidum esse rubrum, ideo non licet  
conversione mutua inferre, omne rubrum esse cali-  
dum.

Quapropter tripliciter peccant Sophiste, quan-  
 do asseverant, Rosas esse calidas, quod rubra sint.  
 Primum, quod non demonstrata hac propositione,  
 omnis ignis rubet, ex illa convertere conentur  
 aliam, tanquam veram, nimirum omne rubrum  
 ignem esse. Secundò, quod ignorent, propositio-  
 nes, quæ mutuò convertuntur cum veris, non au-  
 tem qua simpliciter convertuntur, quarum illas  
 Galenus ἀντισπόφους, has ἀνασπόφους appellat, veras  
 esse. Tertio, quod, etiamsi mutuò converteren-  
 tur, non tamen ex mutua illa conversione sequa-  
 tur, omne rubrum esse calidum, sed aliud hujus-  
 modi axioma, omne rubrum esse ignem, quod ta-  
 men falsum. Debet enim probari, non quod omne  
 rubrum sit ignis, sed quod omne rubrum sit cali-  
 dum. Nam si omne quod rubrum est, ignis esset,  
 sequeretur & Rosam ignem esse, quod ἄτοπον.  
 Prestat igitur simplicium vires sensu & experien-  
 tia investigare, quam ejusmodi ratiunculis & ar-  
 gumentulis uti: in quorum tamen constructione  
 Sophiste tam turpiter errant, quam pueri, qui  
 Logica præcepta vix à limine salutârunt. l. 2.  
 cap. 3.

## VII.

Utrum ex odoribus simplicium vires in-  
 dagare liceat? Respondet Galenus, nil certi ex  
 illis colligi posse. Probat hoc tali argumento.

Si neq; omnia ἐνώδην, bene olentia, calida sunt,  
 neque omnia calida ἐνώδην: si etiam neque omnia  
 δυσώδην, graveolentia, calida sunt, neque omnia  
 calida

calida δυσώδν. Item, si neq; cuncta δυσώδν frigida sunt, neque cuncta frigida δυσώδν, sequitur, ex odoribus nihil certi de temperatura & qualitatibus simplicium colligi posse. At prius verum est, h. e. neque omnia ἐνώδν sunt calida, neq; omnia calida ἐνώδν: Item, neque omnia δυσώδν frigida existunt, neque omnia frigida δυσώδν. Ergo ex odoribus solis nil certi de temperatura & qualitatibus simplicium colligi potest.

Minorem probat Galenus exinde, quoniam innumera sunt calida, partim ἐνώδν, partim δυσώδν, partim ἑδέτερα. Similiter plurima sunt frigida ἐνώδν, δυσώδν, ἢ ἑδέτερα, neutra. Lib. 2. c. 3. Quas Galeni propositiones exemplis quibusdam illustrare possumus.

Sequentia enim calida simplicia ἐνώδν sunt, Majorana, Rosmarinus, Lavandula, Stoechas, Melissa, Mentha, Calamintha, Pulegium, Basilicum, Marum, Hyssopus, Nardus Celtica, Thymus, Cinnamonum, Macis, Nux moschata, Caryophylli, Ambra grisea, Moschus, Zibettum, Storax calamita, Benjoinū, Foeniculū, Anisum, Polium, Serpyllū &c.

Sequentia calida simplicia sunt δυσώδν, Atriplex canina, Cotula foetida, Flos dracunculi, Spatula foetida, Sabina, Porrum, Allium, Ceba, Galbanum, Asa foetida, Opopanax, Sagapenum, Sulphur vivum, Bitumen, Pix liquida, Castoreum, &c.

Sequentia calida simplicia sunt ἑδέτερα, Malva, Althea, Betonica, Clinopodium Matth. Fumaria, Scabiosa, Verbena, Anagallis utraque &c.

Sequentia

Sequentia frigida simplicia sunt ἐὺδῶν, Rosa, Viola, Mala cydonia, Mala Persica, Poma redolentia, Santalum citrinum, &c.

Sequentia frigida simplicia sunt δυσῶν, Cicuta, Hyoscyamus, Stramonium &c.

Sequentia frigida simplicia sunt ἐδέτερα, Acetosa, Portulaca, Lactuca, Solanum, Nymphaea, Sempervivum, Hepatica fontana, Parietaria, Spinachia, Endivia, Cerasa &c.

### VIII.

Desideretne Galenus aliquid ulterius in doctrina Sophistarum, qui ex odoribus facultates simplicium invenire voluerunt? Maxime. Carpit enim illos, quod simplicia absolute calida aut frigida esse dixerint: cum tamen talia dicantur hoc in Tractatu respectu corporis humani. Quae enim nos calefaciunt, calida: quae nos refrigerant, frigida dici debent.

Deinde peccarunt etiam graviter in eo, quod nominum significata minime distinxerint: similesque fuerint illis, qui de cane terrestri differentes ad canem marinum orationem convertunt: putantes, sicut utriusque animalis idem est nomen, sic unam quoque eorum naturam esse. Demonstratum namque est in opere de Temperamentis, calidum multis modis dici. Aliud namque calidum est τῆ δύναμι, aliud τῆ ἐνεργεία.

Et rursus id, quod τῆ ἐνεργεία calidum est, vel ἐπὶ αἰῶν, simpliciter & absolute tale est; cuiusmodi duo suprema elementa sunt: vel κατ' ἐπιπέδα τῆς περ

per exuperantiam: idque collatum vel πρὸς τὸ σὺμ-  
μελρον sui generis, aut suae speciei: vel πρὸς ὁτιῶν  
καὶ ἐπιλοχὸν, ad quidvis obvium. Ostensum insuper,  
hominem calidum esse, non ἀπλῶς, ut ignem: sed  
καὶ ἐπιεργάτησιν. Major enim in illo calidi, quam  
frigidi est portio. Quae igitur potestate calida di-  
cuntur ad hominem, illa rectè calida, & hominem  
calescere statuuntur: facileque talia esse depre-  
henduntur, si usum atque experientiam consula-  
mus, etque paucos quosdam ἐπιλογοισμὰς adijcia-  
mus.

### IX.

Num ex consistentia, laevitate, mollitie, du-  
ritie, aut splendore facultates & qualitates  
simplicium perquirere debeamus? Galenus  
responder, hoc quidem fecisse Sophistas, spretis ite-  
rum sensu atque experientia: sicque & tempus  
suorum discipulorum frustra trivisse: & sophis-  
matibus suis eos, quod illa solvere per inscitiam  
& imperitiam non possent, seduxisse: & animos  
illorum falsis dogmatibus opinionibusque imple-  
visse: sed iterum hallucinatos fuisse turpissimè,  
hunc in modum probat, adhibito Olei exemplo.

Si neque ex lentore, neque ex laevitate, neque ex  
asperitate, neque ex splendore, neque ex consisten-  
tia liquida, neque ex pallore, neque ex pinguitu-  
dine, neque ex lubricitate, neque ex eo, quod corpori-  
bus illitū agrè possit exiccari, certò concludi potest,  
oleum, aliudve ullum simplex, facultate calidum,  
frigidum, humidum, aut siccum esse, sequitur, ex  
histe

hiscē accidentibus simplicium qualitates & potē-  
states indagari certò non posse. Prius est verum.  
Ergo & posterius.

Prius probatur. Si simplicia splendentia, le-  
via, lenta &c. ita comparata sunt, ut quaedam il-  
lorum calida sint, quaedam frigida, quaedam humi-  
da, quaedam sicca, sequitur, nil certi ex dictis ac-  
cidentibus de qualitatibus pronunciari posse. Prius  
versus verissimum est. Ergo ex dictis accidenti-  
bus nihil certi de naturā simplicium statui potest.  
Libr. 2. c. 3.

Hoc prius Galenus quidem exemplis non decla-  
rat: nos tamen perspicuitatis causa id declarare  
minimè gravabimur.

Ex lentorum, & glutinosorum albo calida sunt,  
Gummi Elemi, Bdellium, Ammoniacum, Galba-  
num, Myrrha, Mastiche, Thus, Pix liquida, Scorax  
liquida, Terebinthina, Resina alba, quae colligitur  
ex Abiete, Picea, & Pino. Refrigerant contra  
Tragacantha, & Gummi Arabicum.

Ex numero lævium nos calefaciunt, Sal gem-  
me, Lupini albi, Siliquæ & semina earum, Succu-  
num. Refrigerant autem fol. Nymphaeae, fol. Fabar-  
um, fol. Portulacae, fol. Sempervivi, fol. Crassulae,  
Margaritae, Corallia rubra & alba, Mater perla-  
rum, Marmor, Sem. Melonum, Cucumerum, Cucur-  
bitarum, Cerasa.

Ex familia Splendentium calidæ temperatu-  
re sunt Sal gemmae, Arsenicum album, Tartarum  
vini albi & generosi, Antimonium &c. Frigida  
Cicū-



*Cicuraria, Lapidēs pretiosi, ut Sapphirus, Rubinus,  
Hyacinthus, Smaragdus, Topasius &c.*

*Ex tribu asperorum cabida sunt, Pilosella,  
Borago, Pulsatilla, Scabiosa, Carduus benedictus,  
Echium, Daucus, Anchusa, &c. Frigida Buglossa,  
Psyllium, Rubi folia, &c.*

X.

Quibus medijs usi sint Sophistæ ad inve-  
niendas simplicium facultates? Ex dictis li-  
quet, frivolis illos rationibus ex accidentibus qui-  
busdam petitis, inductionibus atque exemplis usos  
esse. Erant enim scientificarum demonstrationum  
ignari. Quin imò & verarum Inductionem impe-  
riti. Hæ enim ejusmodi argumentationes sunt,  
in quib. ex omnibus ejusdem rationis singularibus,  
vel specialioribus propositionibus universalis con-  
clusio colligitur: & propterea vehementer persua-  
dent. Exempla verò longè sunt infirmiora, & proin-  
parum probant: quoniam qui exemplis fidem fa-  
cere studet, unum solum, aut duo ejusdem generis  
addfert, aut certè planè paucula, plerisque scil. præ-  
teritis, ut ex Rhetorum orationibus liquet. Qui  
verò Inductione aliquid probare conatur, in id in-  
cumbit, ut omnia assumat, quæ per experientiam  
cognita sunt, nec quicquam, quoad ejus fieri potest,  
omittat, quod vulgò notum, sed quod occultum est,  
paucisque perspectum. Nam qui sic argumentatur:  
*Pitvita frigida est, & lenta. Ergo & oleum frigi-  
dum existit, quoniam & ipsum lentum est.*

*Aut, viscum calidum est, & lentum. Ergo &  
oleum*

oleum calidum est, quia ipsum quoque lentum est  
consistentia. Aut, Bitumen calidum est, & facile  
accenditur. Ergo & oleum tale est, quoniam ipsum  
quoque facile flammam concipit. Aut, Aqua fri-  
gida est, facileque concrevit. Ergo & oleum fri-  
gidi est temperamenti, quia ipsum etiam cito  
concrevit. Qui, inquam, sic argumentatur, is  
exemplo utitur, & per exemplum probat, quod in-  
tendit. Sed nihil concludit: quia in exemplis  
modo enumeratis eadem ratio non est.

XI.

Cum Galeni l. 1. & 2. hujus operis insti-  
tutum sit, exemplo Aquæ, Aceti, Olei com-  
munis, & olei Rosacei demonstrare, quomodo  
simplicium vires sint indagandæ: libro autem  
primò præstitum id sit exemplo Aquæ & A-  
ceti, hoc autem secundo idem quoque  
Olei communis Oleique Rosarum exemplo  
declarandum sit, quæritur, quidnam Archida-  
mus de Oleo communi judicavit? Quod illius  
fuerit de oleo isto iudicium, Galenus ex Diocle  
docet. Librum enim scripsit de Archidami pla-  
bitis, eique propterea titulum Archidami fecit.  
Putabat autem Archidamus, oleum medicamen-  
tum esse calidum & siccum, & ob id corpora ca-  
lescere, siccare, digerere, & mordere. Unde na-  
tum hoc paradoxon, corpora magis siccari, si fri-  
centur cum oleo, quam si sola frictio sine oleo  
instituat. Ut autem, quæ illius de oleo fuerit  
sententia, appareat clarius, præstat dogmata illius  
ex Dioclis Archidamo excerpere. Pri-

Primum fuit, si frictionibus opus est, prestare eas instituere siccas & sine oleo, quam cum oleo. Probavit hoc placitum sequentibus argumentis: quorum primum est tale.

Quicquid facit, ut frictio fiat inequalis, id omittendum. At oleum facit, ut frictio fiat inequalis. Ergo omittendum.

Minor confirmatur. Quod in causa est, ut manus labantur, nec aequè carnem apprehendere queant, id facit, ut frictio fiat inequalis. Oleum causa est, ut manus labantur, nec aequè carnem possint apprehendere. Ergo facit, ut frictio inequalis fiat.

Hæc Minor iterum stabilitur. Quod pingue est & lubricum, id efficit, ut manus inter fricandum labantur, & carnem non aequè apprehendant. Oleum est pingue & lubricum. Ergo.

Secundum argumentum:

Q. cutem exiccat, omnemque illius humorem exhaurit, atque eam indurat, id fugiendum. Frictio cum oleo facta hoc facit. Ergo fugienda.

Minor sic probatur. Q. incallescit frictione, & si pingue sit, accenditur, id affricatum cuti eam exiccat atque indurat. At oleum frictione incallescit, & quia pingue, accenditur. Ergo affricatum cutem exiccat atque indurat.

Eadem Minor plana fieri etiam duobus alijs modis potest.

Uno, si ea, que assantur, oleo peruncta magis siccantur & indurantur, quam que citra olei in-

K

unctio.

unctionem assantur, sequitur, etiam frictionem cum oleo administratam cutem siccare & indurare. At prius verum est: quoniam oleum, quo caro assanda inuncta, ab igne assante incalescit & accenditur, adeoque carnem urit, eiusque humiditatem absorbet. Ergo verum quoque posterius, quod frictio cum oleo celebrata cutem siccet atque induret. Inter fricandum enim incalescit & accenditur.

Altero. Si quæ in oleo friguntur, κρᾶνσα καὶ κάρυσα, fragilia friabiliaque, & per consequens sicciora durioraque evadunt, quam fuerint prius, infertur, cutem quoque hominis, quæ cum oleo fricatur, siccare & duram reddi: propter causam allatam: quia causa siccans & indurans adest, nempe oleum frictione accensum.

At prius verum est, ut testatur ἀλοφία. Ergo verum & posterius.

Tertium argumentum.

Q. Oleum imbibit, id ἐκπνοὴν & διαπνοὴν impedit. Atqui cutis, si cum oleo fricetur, oleum imbibit, non secus ac quædam externa, quibus oleum affricatur, ut coria. Ergo ἐκπνοὴν & διαπνοὴν impedit.

Sed quod hanc arcet & remoratur, facit, ut multa superflua, quæ per cutis poros exire solebant, retineantur, & multa inde emanent incommoda. Ergo frictio cum oleo minimè tentanda. Oleum enim non tantum poros claudit, sed etiam, quoniã pingue est & unctuosum, simile visco est.

est, quod pulveres, festucas & alia quadam corpora detinet.

Quartum argumentum.

Q. acre est & mordax, id cuti cum frictione adhiberi non debet. Oleum est tale. Ergo cum oleo neutiquam cutis fricanda.

Hanc Minorem Archidamus sic probabat.

Q. lachrymas ex oculis excutit, tussire facit, propter rosionem gutturis, quod κέρχρειν appellabat, & intestina radit, ut excrementa sanguinolenta excernantur, id acre est atque mordax. Hec prostat oleum foris admotum & etiam potum. Ergo acre est atque mordax. Si querebatur ex Archidamo, utrum in quacunque olei admotione mordicatio illa sentiatur, respondebat negando. Oleum enim vel inungi simpliciter, vel cum frictione. Priori modo nullum sensum mordicationis movere, aut sanè debilem: posteriori omnino. Ratio est: quia per frictionem adigitur, ut subeat. Eandem enim rationem esse olei, quam in alijs quibusdam simplicibus esse novimus. Nam quae mordacia sunt, si tantùm leviter inungantur, aut quavis alia ratione applicentur, minùs valent: magis autem agunt compressa atque intrusa. Exemplo sit urtica. Hac enim si quempiam contingas sensim & leniter, non magnoperè lades: sin ferias, aut premas, haud mediocriter illum offendes.

Hoc Archidami dogma Galenus partim probat, partim improbat.

K 2

Probat,

Probat, quod docuerit, ea, quæ in oleo friguuntur, propriam amittere humiditatem, & friabilia fragiliaque fieri. Experientia namque testatur, quæ coquuntur in aqua, talia minimè evadere.

Improbat autem, quod Aristotelis, Theophrasti, aliorumque Philosophorum consuetudinem non sit secutus. Hi enim non solum problemata physica proposuerunt, sed etiam solverunt. At istud Archidamus, qui tamen rerum naturalium causas scrutari voluit, non fecit. Nam quod apparet evidenter, id semper primum ponendum est: deinde causa indaganda, illi maxime, qui physica proponere problemata in animo habet. Sic enim τὸ ὄτι præcedit, & τὸ διότι sequitur.

Sunt autem hoc loco duo problematum genera consideranda. Vnum, quod proprie ad solos Physicos pertinet. Alterum, quod commune quoque est eorum, qui quamvis artem exercent. Primum genus hoc modo proponendum.

I. Cur oleum, quæ in ipso coquuntur, sicca, & friabilia, & fragilia efficiat, aqua verò humida & mollia? Aut, cur quæ in oleo cocta sunt, siccescant; sed quæ aliter in eo sunt madefacta, propriam humiditatem magis servant, quam si omninò non essent madefacta?

II. Qua ratione oleum Scille & Vrtice morsus sanet, usque medeatur, cum ipsum oculos mordicet?

III. Quis fiat, quod reliquum corpus universum non mordicet, sed oculos duntaxat?

IV. Quare guttur exasperet, ulcera verò leniat?

V. Quo

V. Quo pacto ventrem subducat?

VI. Quomodo lassitudines sanet?

VII. Quamobrem inunctos à frigore tueatur?

VIII. Quare animalia insecta interficiat?

IX. Cur lora & coria emolliat: at quæ in ipso coquuntur, duriora omnia efficiat?

Secundum genus hac ratione proponendum.

I. Quam ob causam Coqui carnes & pisces oleo prius illinant?

II. Quid sit, quod Gymnastæ athlethas oleo fricent?

III. Cur Pædorribæ, qui pueros educant, itidem eos oleo inungant?

Problematis istis hunc in modum propositis, consequens est, ut causæ reddantur, & quidem ab experientia petita.

Coqui enim dicunt, se propterea pisces ac carnes oleo oblinire, quoniam sicca adustaq; extrema eorum partes reddantur, si citra pingua corpora, ex quib. oleum unum est, assentur.

Gymnastæ respondent, se Athlethas propterea oleo fricare, quia oleum lassitudines, quæ antea corpori eorum inerant, solvat, & quæ sunt future, mitiget; Item, quod frictionem æqualem ac mitem planè efficiat, corpusque ad futuros motus preparet.

Pædorribæ asseverant, se easdem quoque ob causas pueros ante & post exercitia inungere.

Cur autem oleum lassitudini medeatur, haud novit neque Gymnasta, neque Pædorriba, neque

Empiricus : nec tamen ab ἐναργῶς φαινομένοις re-  
cedent. Quamvis enim Empirici causam ignorent,  
cur v. g. Elleborus albus sursum purget, niger de-  
orsum? Item, cur Cnicus pituitam evacuet? Epi-  
thymum melancholiam? tamen hisce purgantibus  
utuntur, quæ usurpanda esse Experientia docuit:  
& eos, quib. opus est, curant, & τοῖς ἐναργῶς φαι-  
νομένοις fidem habent, eosque, qui contraria ratio-  
ni adstruunt, derident. L. 2. 6. 5.

XII.

Sitné aliis etiam nominibus Archidamus  
de Olei viribus differens reprehendendus? Ga-  
lenus ipsum multis quoque alijs nominibus carpit.

I. quòd in multis τὰ ἐναργῶς φαινόμενα con-  
temserit: cùm hæc tamen sensibus percipiuntur,  
hancque ob causam minimè fallant.

II. quòd statuerit, frictionem siccam meliorem  
esse, quàm quæ cum oleo instituitur: hac motus  
ratione, quoniam ijs, qui oleo unguuntur, corpus  
reddatur durius & siccus: mollius contra, qui fri-  
cantur sicci. Sibi namque contradixit: quoniam  
addidit, ligna, pelles, corpora alia, oleo peruncta  
& fricta, ipsum imbibere, & in profundum trans-  
mittere: hocq; maximum esse indicium, quòd in  
corporibus nostris intrò subiens meatus oblinat, &  
humidorum effluxum prohibeat. Galenus ait, se  
ignorare, quomodo hæc consentiant? Nam quòd  
τὰς τῶν ὑγρῶν ἐκροὰς, humidorum effluxus prohi-  
bet, minimè siccatur, & proinde frustra tanquam  
desiccans in frictionibus repudiatur. At oleum  
dictas



dictos effluxus secundum Archidami placitum prohibet. Ergo frustra id in frictionibus, tanquam desiccans, repudiavit.

III. quod crediderit, similiter affici, tum ea, qua in illo coquuntur, tum eos, qui oleo fricantur. Nam si oleum pro diversitate qualitatum actualium diversimodè agit & operatur, sicut & aqua, sequitur, ea, quæ coquuntur in oleo fervente, & qui oleo tepido fricantur, non similiter eodemque planè modo affici.

At prius est verum. Ergo.

Prius probatur, primùm exemplo Aqua: deinde ipsiusmet Olei.

Etenim Aqua frigida corpori nostro applicata, condensat, constipat, contrahit, constringit, repercutit. Aqua extremè fervida adurit. Aqua temperatè calida laxat, rarefacit, fundit, digerit. Quodsi nec insigniter calida, nec frigida admoveatur, sed ea qualitate, qua fontana prædita est, istorum nihil efficiet, sed propriam suam facultatem exeret.

Eodem se modo Oleum habet. Nam si quis illius qualitatem & facultatem expendere avert, necesse est, ut id prius ab omni alieno tum calore, tum frigore liberet, & tum demùm πρὸς τὴν βίασιν, ad explorationem illius sese convertat. Nam quod summè frigidum est, non ex sua solùm facultate, sed ex alienæ qualitatis excessu nonnihil operabitur in ijs, quibus est admotum. Idem judicandum de illo oleo, quod ἄκρως, extremè

est calidum. At si ab utraque aliena qualitate ipsum liberaveris, hocque facto examen institueris, sic demum propriam ejus facultatem juvenies. Nam qui de Aquæ, Olei, aliorumve simplicium facultatibus & qualitatibus judicare vult, de illis judicare debet., cum ab omni aliena qualitate sunt aliena. Fallitur enim, aliosque fallit, qui qualitatem extraneam cum propria & nativa confundit, quique illam pro hac habet, putatque, qualitatem olei, aut Aquæ adventitiam & ascititiam propriam & nativam esse. Utraque enim olei qualitate utimur: frigida & calida. Frigida in ardoribus capitis; calida in affectu frigido. Et in vehementibus quidem ardoribus capitis placet magis oleum salis expers, quia magis refrigerat: multoque magis illud, quod quospißes, crudum appellatur, quod scil. ex olivis immaturis expressum. L. 2. c. 6.

### XIII.

Qua ratione Oleum frigidum paretur, qua calidum? Cum dixerit Galenus, refrigerato oleo curari passiones capitis calidas, nunc modum ostendit, quomodo frigidum fiat? Monstrat autem modos tres.

Primus est, cum aqua primum calefit; deinde oleum in aquam summè frigidam infunditur: h. e. uti suspicamur, ea lavatur.

Secundus, quando oleum in vasculum conijcitur: postea vasculum probè occluditur, fontique supponitur, ut aqua frigida cum strepitu in illud delabatur.

Tertiùs

Tertius, cum oleum vasculo inclusum in puteum ita demittitur, ut aquam putealem contingat. Evadit quidem Oleum etiam frigidum, si vasculum illius aquam minimè tangat: verum refrigeratur minus. Hisce modis oleum frigidum redditur: contrarijs vero calidum. Utimur autem illo in cura frigidorum affectuum, v. g. stuporis, tremoris, convulsionis, palpitationis, paralyseos, in qua vel sensus, vel motus, vel utraque actio perit, vel saltem agrè difficulterque obitur. Immittuntur enim partes, aut corpus totum in alveum, sive solium olei arte calefacti. L. 2. c. 7.

#### XIV.

Sitné Archidamus in doctrina de Olei facultatibus etiam alio nomine reprehensione dignus? Respondet Galenus omnino: idque probat modis duobus. Primum, quia ὅλην τὴν χεῖρσιν, universum usum olei consideravit, & quid in universum prestare valeat perpendit, & ex universo illo usu de illius facultate pronunciavit, quod scilicet calefacere, & refrigerare, & humectare, & siccare nos possit, quamvis ipsas ἐναντιοφρονας, contradictiones, minimè animadvertit. Quod enim sibi ipsi contradixerit, hoc argumento palàm fit.

Qui dicit, Oleum ea, quæ in ipso coquantur, exiccare & fragilia reddere: & postea statuit, Oleum intro in coria subire, porosque nostros oblinire, & naturales humorum effluxus prohibere, is statuit, Oleum exiccare & humectare, digerere,

sive consumere, & implere, ac ob id sibi ipsi contradicit. Prius docuit Archidamus, E. Sibi ipsi contradixit.

Deinde, quia ipsius doctrina de Olei facultatibus manca est & mutila. Probatum hoc syllogismo.

Qui docet, Oleum oculos mordere, guttur exasperare, seu ad tussim provocare, intestina radere, & secessus efficere sanguinolentos, is abundè quidem probat, mordacem illi inesse facultatem: verùm non omnes illius facultates enumerat: & propterea ejus doctrina manca est & mutila. At Archidamus docuit quidem, Oleum dictos producere effectus. Ergò docuit solum, Oleum mordax esse: sed reliquas illius facultates silentio involvit: ideoque manca & mutila illius est doctrina.

Quòd autem facultates alias pratermisit, ex eo liquet, quoniam Oleum etiam dolores lenit, & intestinorum mordicationes ἐπιβροχόμενον καὶ ἐνέμενον, irrigatum, aut infusum, tollit, & τὰς ἀπὸ τῶν ὀδοντισμῶν ἐπεθισμῶν, qui morsu in alijs partibus irritantur, mitigat, quas tamen facultates Archidamus sicco pede praterijt. L. 2. c. 7.

#### XV.

Quot modis de Olei, aliorumque simplicium facultatibus Medici judicare soleant? Aut ut Empirici, aut ut Dogmatici & Rationales. Si judicant ut Empirici, ajunt, satis sibi esse, nòsse, quid remedia cuique parti admota faciant? Qualia autem sint, & quæ eorum sit natura, id scire ad se nihil pertinere. Si ut Dogmatici pronunciant,

ciant, qui facultates ex actionibus colligunt, dicunt, contrarias oleo inesse facultates, cum contrarias ab eo proficisci actiones experiamur, nimirum mordicantem & lenientem. Verum hoc dixisse, non sufficit. Sed causam quoque addere oportet, cur, cum Oleum contrarias facultates habeat, altera earum agat sensibilibus & evidenter, altera vero aut perditam sit, aut obscure saltem operetur, vix ut appareat? Est sane harum dubitationum solutio, cum ut προβλήματα φυσικά proponuntur, perquam difficilis. Quando vero ad usum Medicinae referuntur, multam experientiam requirunt: paucos vero ἐπιλογισμῶς, verum exactos, & non ita procul ab ijs rebus petitos, quae sensu percipiuntur. Etenim, num omne Oleum mordax sit, nec ne, experientia decidendum est: non Rhetorum more in utramque partem ex tempore differendum. Idem faciendum, si rogetur, an omne Oleum guttur exasperet? aut ventrem subducatur? aut intestina corrodat, ut aliquando cruentas excretionem moveat? an vero quoddam Oleum hac faciat, illud vero non: & nunquid aliud magis, aliud minus ea efficiat? L. 2. c. 7.

#### XVI.

Cum ex dictis constet, differentiam esse inter Olea, quaeritur, num omnes differentiae Olei hic inaudiantur? Respondet Galenus negando. Non enim hic de ijs oleorum generibus agitur, quae sunt ἐτερογενῶν, scil. propter admistionem aliorum simplicium, ut sunt oleum Cicinum, Rapha-

Raphaninum, Caryinum, Balaninum &c. quamvis  
& illorum vires Medicum scire deceat: sed id so-  
lum consideratur, quod est κυριώτατον καὶ μάλις α  
ὑπὸ πάντων ἀνθρώπων ὀνομαζόμενον ἔλαιον, propriüs-  
simum, quodque maximè ab omnibus hominibus  
Oleum appellatur. Nam & fructus, ex quo Oleum  
conficitur, solus ex omnibus ἐλαία, Oliva dicitur: &  
arbor ἐλαία, Olea, sive Oliva nuncupatur: &  
Oleum ipsum ἔλαιον vocatur: habetque hanc præ  
ceteris prerogativam, ut ἔλαιον ἀπλῶς καὶ πρώτως  
nominetur: reliqua verò κατὰ μεταφορὰν καὶ κατὰ  
τάχην. L. 2. c. 7.

#### XVII.

Quænam igitur hujus Olei, quod κυριώ-  
Oleum appellitant, sint differentiæ? Differen-  
tiæ illius sunt multe. Prima desumitur ab æta-  
te, cujus ratione aliud est recens, & veluti mu-  
stum, aliud ætate vigens, aliud vetus. Secunda  
à substantia, cujus nomine aliud est simplex &  
impermistum, aliud cum sale preparatum. Tertia  
à diversitate fructus, cujus causa aliud est com-  
pletum, quod ex maturis olivis exprimitur, aliud  
incompletum, quod supra crudum & ἠμολιβὲς fuit  
vocatam, quod ex immaturis Olivis est elicatum.  
Quarta ab illa alteratione, quæ arte inducta est,  
quæ ratione aliud tale est, quale ab initio prepa-  
ratum fuit, & tale etiam conservatum, aliud al-  
bum factum, de quo infra dicetur. Horum oleo-  
rum facultates Galenus experiri studuit. Quid  
autem in quoque fieri deprehenderit, suo loco ex-  
pone-

ponetur. Nunc absolvendum id, quod tractandum suscepimus: qua scil. ratione simplicium vires sint investigandæ? Arbitratur namque Galenus, plerisque Medicos perperam tum medicamina experiri, tum de viribus eorum ratiocinari. L. 2. c. 8.



## COROLLARIA.

### I.

**C**ur Galenus c. 5. l. 2. hujus operis dicat, ea, quæ in oleo coquuntur, sicca, friabilia, & fragilia effici: quæ verò elixantur in aqua, humida molliaque evadere? Causa esse putatur, quia quæ coquuntur in oleo, friguntur. Quæ autem friguntur, partim elixari, partim assari videntur: magis tamen assari, quàm elixari. Elixari, quoniam coquuntur in humore. Assari, quia coquuntur in ejusmodi humore, qui igneam ascivit naturam, cujus causa sicciora, & consequenter friabilia & fragilia redduntur. At quæ coctionem patiuntur in aqua, humida molliaque fiunt, quia ipsa quoque aqua talis est, & igneam non induit naturam.

### II.

Cur idem ibidem asseveret, oleum Scyllæ & Vrticæ morsus sanare, cum tamen oculos mordeat? Scyllæ morsus sanat, quia ejus acrimoniam & mordacitatem contemperat & mitigat. Sanat & morsus Vrticæ, quoniam puncturas  
ab

ab illa factas lenit. Facit aliás ne pungere possit,  
quia aculei ejus ab olei humiditate hebetantur,  
& flaccidi redduntur, quò minùs pungere valeant.  
Oculos verò mordet, quoniam oculi exquisiti ad-  
modum sunt sensus: ipsum verò oleum acredinis  
quid in se habet. Lentum insuper est, & diutiùs  
adhæret.

### III.

Quamobrem idem ibid. asserat, oleum re-  
liquum corpus non mordere, sed oculos so-  
lùm? Quia reliquum corpus non ita sensibile est,  
ac oculi. Ideòque non ita dolet, ut isti.

### IV.

Cur oleum guttur exasperet, ulcera verò  
leniat? Problema istud ibidem movetur. Causa  
verò est, quia oleum guttur inequaliter oblini-  
t: cum ipsum quoq; partib. inequalibus constet, mem-  
branosis scil. & cartilagineis. Ulcera verò lenit,  
siquidem non sit recens, nec salitum, nec ompha-  
einum, sed ætatis mediæ, dulce, & ex olivis bene  
maturis expressum. Tale enim mite est & ano-  
dynam.

### V.

Cur & quomodo idem oleum ventrem  
subducat? Hoc enim ζήρυα, itidem eodem  
in loco Galenus proponit? Responderetur, ciere  
ventrem, vel humiditate & lubricitate sua: vel  
quia faces emollit: vel quia intestina pungit &  
irritat ad excretionem, quod oleum salsum face-  
re solet.

### VI. Qua-



## VI.

Quare inunctum partes à frigore tueatur?  
Et hoc problema ibidem adfertur. Causa esse vi-  
detur, partim quia ipsum calefacit. Est enim  
aëree nature. Partim quia crassum, lentumque;  
quo nomine frigoris ingressum arcet: dummodo sit  
tale, quale corollario 4. descriptum.

## VII.

Qua de causa insectâ interficiat? An quia  
ipsis occulta qualitate inimicum? An quia trans-  
pirationem eorum sua crassitie & lentore suo in-  
hibet. Angustos enim habent poros & meatus.  
Quo facto, calor illorum perit, debita ventilatione  
destitutus: teste Alexandro Aphrodisæo probl.  
62. sect. 1.

## VIII.

Cur lora & coria emolliat: at quæ in ipso  
coquuntur, duriora omnia efficiat? Causa pa-  
tet ex dictis. Etenim illitum corijs & loris emol-  
lit, quia humidum est. Incocta autem indurat,  
quia ea exiccat, & quasi adurit.

## IX.

Cur lassitudini medeatur? Ulcerosa lassitu-  
dini prodest, quia hæc à κακοχρυσία, & quidem  
ab acribus & mordacibus humoribus oritur, quos  
mitigatora sua qualitate contemperat, doloremq;  
placat, in quo laborantes ita affligi sibi videntur,  
ac si acubus compungerentur. Conducit etiam  
virtute digerendi, præsertim si cum frictione in-  
ungatur: teste Galeno l. 3. de San. tuend. c. 6.

Tensi-

Tensiva lassitudini opem fert humectando, emolliendo, & laxando: maxime, si, ut idem ibid. docet, cum frictione pauca & molli admoveatur. φλεγματώδες denique succurrit lassitudini, partim contemperando, partim insensibiliter vacuando. Tot enim simplices lassitudinis species Galeñus l. 2. de San. tuend. c. 5. tradit: earumque medelas cap. 6. & 7. proponit.

X.

Rectene doceat Aristoteles l. 4. meteor. c. 3. quando dicit, elixa intus esse sicciora, foris humidiora; assa contra foris sicciora, intus humidiora. Rectissime! Elixatio enim fit eodem authore in humore externo, & à calore externo, qui inest igni. Ideoque humor ex re, que elixatur, exprimitur ab eo calore, qui humori adventitio, in quo elixatio celebratur, est admistus. Assatio verò fit à calore sicco & alieno, qui est in igne. Externa igitur assorum partes sicciores sunt interioribus, quia sunt igni viciniore. Ideoque exterioribus meatibus coeuntibus, in situs humor exprimi nequit, sed intercipitur, quoniam via minus patent.

F I N I S.

21a 2663

ULB Halle 3  
006 549 195



1009

MA

16





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8  
Centimetres

# Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black

